

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XLVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

haldinis respondere, & historiam quoq; itineris sui, quam in Academia mense Decembri publicè habuit, editurum esse, quod tamen utrunque, an cerò futurum sit, ignoro. Bremensium scriptum nondum vidi: audio ibi esse Widebramum, & ex deportatis Witebergensibus unum, aut alterum præterea; qui si autores sunt illius scripti, impietatem suam sine dubio manifestiorem reddent. Nostri rebus omnibus perfuncti sibi videntur, exautorato Sturmio: de subscriptione Libri Concordiæ vix sustinent audire amplius. De Comitibus alium adhuc apud nos silentium; vix autem futurum puto, ut non rationem à nostris exposcant Status Augustanz Confectionis, cur tamdiu Antipappos toleraverint. Quanquam noster Senex & Antiquus Rector contra Doct. Jacobum adhuc scribere dicitur. De Petro expecto propediem sententiam fratrum & cognatorum; si ad ingenium rediret, quod nollem, confido, te id me non clam habiturum esse. D. M. Ulrico fratri chariss. sal. plur. ascribo. Henricus iste Johannes Holsatus vir optimus est, & mei studiosissimus, neque, ut puto, M. Ulrico ignotus. Eum humanitati tuæ commendo. Benè in DOMINO, reverende & Cl. D. Doctor, amice & frater chariss. vale. Argentorato, 23. Febr. 1582.

*Tuus in Domino frater*

Joh. Pappus, D.



XLVI.

*S. D. Reverende & clarissime vir, compater carissime.*

Toto ferè semestri nullas à te literas habui, nec de Ecclesiæ & Academiæ in patria tua statu cognovi. Quæso igitur, ut ad pristinam scribendi assiduitatem redeas, & Davidem Razium, discipulum tuum, hortaris, ut non solum exercendi studii, verum etiam humanitatis causa nullam literas ad nos mittendi occasionem prætermittat & de matris valerudine, de fratribus, sorore Maria, & de Wormatiensi Ecclesia me doceat. Mitto Epistolam Constantinopoli recens allatam, & de Russorum ac Tartarorum Religione & moribus libellum, ut tua eruditiora & suaviora vicissim eliciam. Benè vale. Rostochii pridie Nonas Martii, Anno 1582.

David Chytræus.

XLVII.